ordines conscendere non prohibetur
qui non duxit viduam. Viduae enim
maritus esse quasi bigamus sacerdos
fieri prohibetur. Ex tali autem copula
nullus arcetur a sacris ordinibus.
Ordinem enim nullius est quod ait Pe-
lagius papa de illo qui mortua spon-
sa eius sponsam duxit in uxorem.
Nichil est inquit quantum ad huius
decretalis attinet quod ei obviet
de canonicis institutis quin ad sacros
ordines promoveri valeat. Si enim
talis sponsa fuisset mortua cum et
sponsus eius consensus coniugalis
de praesenti intercessisset eo modo vi-
duam recepisset tamquam copulatus in con-
iugio videlicet ad sacros ordines
non accederet tamquam viduam duxerit.
Non est ergo ambigendum quod
solus de praesenti consensus coniugium
efficiat. Et exinde veri coniuges
appellentur. Ideo post talem consensum
si quis alii se copulaverit etiam si
carnis commixtio illic sequatur
ad priorem copulam revocandus
est. **Si consensus de futuro cum iuramento**

firmatus faciat coniugium

Di. xxviii

Sed quaeri debet utrum consensus
de futuro addito etiam iuramen-
to coniugium efficiat ut si quis pro-
mittat vel etiam iuret aliquam
se usque ad tempus placitum illam duc-
turum et illa promittat vel iuret
se illi nupturam numquid tales sponsi
tunc coniuges fuerint. Si mutato propo-
sito alter vel uterque ad aliam copu-
lam transierit numquid ob priorem sponsio-
nem iuramento subnixam. Se-
paracionis partium scindatur. Considera
quod aliud longe est promittere et
aliud facere. Qui enim promittit non-
dum fecit. Qui vero promisit se in
uxorem ducturum aliquam nondum
eam duxit uxorem. Et quae sponsa
dicit se nupturam nondum nupsit.
Unde nec coniuges appellari possunt
qui non de praesenti consensu sed de futuro se con-
tracturos iurando promittunt.

Item si ex iuramento ad futurum per-
tinentis mox efficiuntur coniuges cum
iurant in futuro se facturos quod in
praesenti efficiunt. Item si ex quo iurant
mox efficiuntur coniuges tunc periu-
rium efficiunt quod iurant se facturos.
Ideo dico quod coniugium tunc non fuit
sed futurum promissum. Si vero post uxorem
illam ille duxit et illa marito nupsit
sed coniugium utrumque fuit et non potest dis-
solvi. Praecedens ergo emendandum
vel per iuramentum vel per paenitentiam est corrigen-
dum. Sed et coniugium sequens non est dissol-
vendum. Non est autem sic qui coniugium
iuramento praesentis consensus attestati-
one firmat quia post talem consensum
si quis alii se copulaverit etiam si
prolem habuerit reverti debet sicut et
supra ad priorem copulam. Ceterum prae-
missis autem sanctis videtur obviare id
quod leges tradunt. Si quis tactis
divinis scripturis iuraverit mulieri
se eam legitimam uxorem habiturum
vel etiam si in oratorio tale sacramentum
dederit sit ei legitima uxor quamvis
nulla dos nulla alia scriptura
interposita sit. Sed hic ostendit quid
fieri vel esse debeat non quid tunc
fiat. Non enim pro illo iuramento
tunc fit uxor sed fieri debet quod iura-
tum est. Potest etiam de illo iuramento
hoc dictum intelligi ubi de praesenti con-
sentiunt ac se mutuo suscipiunt. Il-
lud etiam sane quia dictum est solum
consensum facere coniugium videtur
contrarie quod Evaristus papa ait aliter
legitimum non fit coniugium nisi ab
his qui super feminam dominationem habere
videntur et a quibus custoditur uxor pe-
tatur et a parentibus sponsetur et le-
gibus dotetur et a sacerdote ut mos
est benedicatur. a paranimphis custodi-
atur ac sollempniter accipiatur. Ita
peracta legitima scitote esse co-
nubia. Aliter vero praesumpta non
coniugia sed adulteria vel fornicatio-
nes sive vel voluntas propria suffragantur

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG

BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA

© Biblioteca Apostolica Vaticana

http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/bav_pal_lat_326/0465

MANFRED
LAUTENSCHLÄGER
STIFTUNG